



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 20. Non mirandum, homines à bestijs vexari, cùm ipsi irritent Deum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

draginta millia perijsse. Neq; multò post rex ipse Gallix mortuus est Perpiniani. Ex hoc diuino sacrilegorum militum supplicio, *MVSCÆ S. NARCISCI* in prouerbium abierunt. Quia autem hoc miraculosè contigit, simile quiddam accidit Seuero Imperatori, in expeditione contra Atrenos, vt docet Herodianus. Obsessi enim à Seuerianis, non solùm sagittis lapidibusque, sese audacter defenderunt; sed etiã vasa fictilia, volucris quibusdam, venenatisq; bestijs oppleta deuoluère; quæ cùm aut in oculos inuolarent, aut in detectas corporis partes sensim obreperent, grauissimè singulos fauciauerunt. Deniq; si quis vult nosse maxima damna etiam à minoribus bestijs in homines corriuata, meminerit Anium scribere, veterè urbem, ad Volliensem lacum, *Contenebram* appellari solitam, à formicis deletam, & locum illum vulgò *Castrum formicarum* fuisse nominatum.

Herodiana
lib. 3.

Anius in
Questio-
nibus de
Tuscia.

§. XX.

Non mirandum, homines à bestijs vexari, cum ipsi irritent Deum.

Ex his intelligi potest, vti Deum animalibus terræ aliquando, ad scelerum vindictam, non solùm justè, verùm etiam

E e 5 clemen-

clementer. Quare miri nihil est, bestias
 quasdam & molestas esse hominib⁹, & per-
 niciosas. Homines Deo molesti esse non
 verentur, & molestia ipsi nulla volunt af-
 fici? Nec enim sine causa Isaias ait: *Nun-
 quid parum vobis est, molestos esse hominibus,
 quia molesti estis, & Deo meo?* Illud itaq; ma-
 gis mirandum est, tã insanã homines esse
 audaciã, vt Deo molesti esse non verean-
 tur; quem vel in minimis bestiolis experi-
 untur, tam multa, immò innumera ha-
 bere instrumenta, per quẽ injurias suas de
 nobis vlciscatur. Tũne, contra omnipo-
 tentem, superbis, Pharao? Tu Elisẽum
 irrides, pusille, qui prætextam nondum
 posuisti? Tu cælo minaris Nabuchodo-
 nosor? Tu rapinis, cædibus, adulterijs, odijs
 inueteratis, blasphemijs, contumelijs ad-
 iram prouocas Dominum Vniuersi, mise-
 rande peccator? O quantis te periculis,
 quanto aduersario obijcis? Non sustine-
 bis, si vel muscam contra te excitet, qui
 contra te potest omnes armare creaturas.
 Si te erigis, tot aduersus te habiturus est
 aduocatos, tot procuratores, tot pugnatore-
 res, quot sunt in aëre volucres, in mari
 pisces, animalia in terris. Quid tumes,
 ô stul-

ô stulte? culex potest esse carnifex tuus.
Quid te effers, Pharisæe? musca potest te
occidere. Quid te jactas, Thraso? crabro-
nem aut vespam non potes pati circa au-
res tuas sonantem; quo modo fremitus
Inferni, & Auernales belluas, in Orco
sustinebis?

C A P V T X V I.

*Quàm bonam Deus suis, & in Ægypto,
& in Palestina, terram assignavit
seruis?*

S. I.

Cur, in bona terra, mala bonis misceantur?

Erræ spinas & tribulos, noxiâs-
que homini è Paradiso exulanti
bestias parientis, aut alentis in-
commoda, vel non esse tanta, quanta ru-
des fingunt, vel justis de causis euenire, di-
xi vsque, superque, quàm satis est. Restat,
vt de terra ipsa disseramus. Quam sanè,
sicut omnia Conditoris nostri opera, bo-
nam esse, nemo dubitat, nisi malus. Nam
præter ea, quæ supra commemorauimus,
multa alia beneficia illius expendunt, qui
Cyceonem ebiberunt, & ex cista Cereris
sumpserunt, vt dici solet; hoc est, qui illo-
tis